[illegible] de Warszyce.

Nieszporkowicz Ambrosii: Trigonum Illustrissimae Domus Warszicianae

TRIGONUM

ILLUSTRISSIMÆ DOMUS WARSZICIÆ
Sub cœlum aſſurgens faſtigijs
VIRTUTIS, HONORIS, DECORIS,
In ILLUSTRISSIMA HEROINA

D. BARBARA

de Wárſzyce

MĘCINSKA

Wielunenſi & Radomſcenſi
CAPITANEA,
ILLUSTRISSIMI, & EXCELLENTISSIMI DOMINI,

D. MICHAELIS

in Wárſzyce

WARSZYCKI

PALATINI SENDOMIRIENSIS, CAPITANEI PETRICOVIENSIS,
FILIA,
ILLUSTRISSIMORUM DUCUM
WISNIOWIECIORUM, KORYBUTHORUM & ZBARAVIENSIUM NEPTE,
ILLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI

D. CASIMIRI IOSEPHI

De Korozweki

MĘCINSKI

Wielunenſis, & Radomſcenſis CAPITANEI,
E Palatinatu Cracovienſi ad Generalia Regni Comitia Warſavienſia

NVNTII,

Lectiſſima & Dilectiſſima
CONSORTE,
Cum eius corporis exuviæ in Clari Montis Baſilica Fratrum Ordinis
Sancti PAULI Primi Eremitæ
In Illuſtriſſimorum Hoſpitum parentalibus honoribus aſſiſtentium frequentia
Ultimo obſequio deponerentur,
Luci publicæ exhibitum
Per Fratrem AMBROSIUM NIESZPORKOWITZ, Ordinis Sancti
PAULI Primi Eremitæ Profeſſ:
Anno Domini MDCXCIV. die IV. Ianuarij. 34.

****

Typis Clari Montis Częſtochovienſis.

IN STEMMA ILLUSTRISSIMÆ DOMUS W A R S Z Y C I Æ.



Oedipe dic mihi: Quid WARSZYCIA Teſſera pandit?
Teſſera quid pandat, volue, revolve, ſcies.
V. duples ſummo cur iunctum vertice ſurgit?
VIRTUTEM VERAM nobile Stemma notat.
M. refere, Magnum, ſi furſan pono ſupinum;
Magnos in Patria monſtrat ubique Viros.
Chiliademque, Decemque refert in forma Latinis;
Magnos ad Decies Millia Mille docet.
Erigo tranſverſum; Græcum mihi Sigma miniſtrat.
Monſtrat, ut hic maneat, Gloria, Vita, SALUS.
Verè Magna Domus, Magnos habet illa Theſauros,
Conveniunt rebus Nomina quando ſuis.

ILLUSTRISSIMO, & EXCELLENTISSIMO DOMINO,

D. CASIMIRO IOSEPHO

de Korożweki

MECINSKI

WIELUNENSI, & RADOMSCENSI

CAPITANEO,

Ad Generalia Regni Comitia

è Palatinatu Cracoviensi

N V N T I O,

Domino, Patrono, ac Mecænati Colendissimo.

Fortasse placare pacareq; posset animum Tuum, tanta clade, quæ Tuam ROSARUM Domum confudit consternatum, facundia, quæ posset ROSAS, ad ROSAS LOQUI, Illustrissime Domine, *si tanta iactura, aliquo solatio posset compensari. Amisisti Coniugem claritudine Generis Illustrissimam, morum probitate ornatissimam, magnis naturæ, gratiæque dotibus excellentissimam, atque, ut in compendium omnem eius ornamentorum supellectilem, contraham, Mulierem Optimam: quid luctuosius? Amisisti unicum Cordis, animique Tui Delicium, partem animæ Tuæ, conversationis dulcissimæ solatium; quid acerbius? Amisisti thesauri Tui, plus quam Parquaiam sexaginta elegantiarum, Gemmam, Domûs, ætatisque Tuæ pretiosum Florem, Maximis æqualem aut vix comparandam, inclytissimam Heroinam, quid funestius? Amisisti, quod apud Te solum, & unum fuit summum, amantissimum, desideratissimum, pretiosissimam, pulcherrimum, optimum; quàm profundum cordis exulcerati vulnus, quod omnis incapax lenimenti, omnem, quæ à solo verborum apparatu proficiscitur, consolationem non admitit. Tanti doloris intemperantia, & impatientia, animi Tui fortitudinis magnanimitatis virtuti permultum posse detrahere videretur, nisi parcendum esset incomparabili Amori, secundùm cuius propè inordinatum affectum, doloris acerbitas mensuratur. Non exaggero tantum, tamque pretiosum, & verbis imparē erga Amantissimā, Coniugem affectum, exemplorum, affectûs maritalis*

inductione, quod illorum est, qui cùm sterilem laudum nanciscuntur materiam, Poëtarum figmentis, aut phaleratis eloquentiæ pigmentis, aut Historiarum exemplis implent paginam; veri, sincerique Tui amoris eiusmodi documentum est, quod alijs meritò cederet in exemplum. Hinc illa mutuorum officiorum contentio, quæ utrinque intensiorem affectûs necessitudinem conciliabat, firmabatque; accurata in omnibus circumspectio, ne quid subesse posset in verbis, aut actionibus, quod tenerrimi affectûs dulcedinem læderet, vel infirmaret. Hoc summum est doloris incentivum, Illustrissime Domine, Amantis Amor, quem vel vitæ pretio, (si ità tulisset fatorum necessitas) rependisses. Sed cavendum nobis est, Illustrissime Domine, ne intemperantia doloris amissa creatura, Creatorem offendamus. Nisi nos homines esse, & humana pati debere meminerimus, DEUM non sapimus: quantumque præsentis vitæ, familiarium, amicorum, coniugum, pignorum, ac propinquorum accedimus, & affigimur ad amorem, tantùm discedimus à DEO, & elongamur. Temperet iusta humanæ conditionis ratio, dolorem Tuum Illustrissime Domine, ne divisum Te coniectare quis velit à Creatore (quod sicut iniquum, ità indignum, & impium est) cùm putat incapaci Te solatio, fata ferentem creaturæ. Ab hac suspitione, absolvit Te DEI beneplacito affixa mens, humanæ conditionis ratio, indispensabilis fatorum necessitas, alternæ rerum nascentium, & occumbentium vices. Amori imputandum, quod dolori conceditur; ubi amoris culpa digna venia, meretur laudem: non censuram; quam & DEUS mutuam dilectionem commendans, non improbat. Reflecte mentem, Illustrissime Domine, ad absentis amantissimæ Coniugis memoriam, & inde pacando animo Tuo solatia nasci cognosces, unde causæ doloris promanarunt. Venerabaris, ut dignam; amasti, ut optimam; & optima quæque illi sincero affectu exoptasti. Quid iam ægrè feras meliori sorti redditam, & vinculis mortalitatis expeditam, immortales inter cœli municipes recenseri? Habes, quæ reliquit, Illustrissimæ Domûs ornamenta, quorum ipsa magna pars est, in his aliquot paginis exarata, quæ cum mea erga Illustrissimæ Dominationis Tuæ, totiusque MECZYNIÆ Domus, ad cultum, & observantiam, submissa animi propensione, in mœsti, & vulnerati cordis, medelam, & lenimen offero.

Illustrissimæ Dominationis Tuæ

Devinctissimus

Exorator, & Cliens,

Fr: AMBROSIUS NIESZPORKOWITZ.

ILLUSTRISSIMÆ DOMUS WARSZYCIÆ

VIRTVTI



PULCHRIOR EST VIRTUS SERTO REDIMITA ROSARUM

Qui Divini Numinis Maiestatem, & Immensitatem ambitu intellectûs complecti, aut cancellis humanæ eloquentiæ definire, aut imaginibus adumbrare non possumus, æquiùs, & humanæ conditioni, meritoque convenientiùs agimus, cùm humiliter coacti in genua, adoramus, & veneramur, silentio, quod humano elo-

quio non enuntiamus. Grande præsumptionis piaculum, & plenum erroris periculum est, velle metiri ex capacitate intellectûs illam magnitudinem, quæ extra terminos dimensionis eò porrigitur, quo temeraria Divina cognoscendi curiositas non pervadit, admiratorem, & adoratorem sui admittens, non scrutarorem. Quod Divinitati proprium, illis quoque concessum est, quos charactere suo DEUS insignivit, in quibus non tantùm ut in promiscua hominum multitudine *Divinæ particula auræ*, sed ipsa cum potestate maiestas elucet, & virtutum lineamentis imago expressa DEI ostendit. Illi sunt, quos DEUS Familiarum statuit Principes, & Gubernatores præposuit populorum, quos ideo è reliquorum hominum secrevit, massa ut erga humanum genus vice sua fungantur. Inde, sicut ait Tacisus lib: 4. Annal: *Principibus summum rerum iudicium Dij dederunt; subditis obsequij gloria relicta est.* Quos ad harmoniam universi subiectis præesse voluit, *nam nihil tam aptum* (inquit Cicero de Legib.) *ad ius, conditionemq; naturæ, quàm Imperium: sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare; nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.*

Ita rerum omnium Author naturæ ordini providit, vt qui cæteris in prærogativa dignitatis, & authoritatis eminent, similiores quoque suæ naturæ inveniantur. Hinc illos singulari suorum Attributorum, seu Virtutum participatione coram oculis mundi illustriores, Serenissimos, Illustrissimos, Perillustres, Illustres fecit splendescere, quorum cunabula non inter abiectæ sortis quisquilias, sed inter Regum purpuras, & laticlavia, inter palmas, & laureas posuit, stipavit sceptris, coronisque Regum, Mitris, clavisque Ducalibus; Honorum omnium vallavit infulis, & summarum potestatum insignibus exornavit, & quod summum commendationis tenet fastigium, illa posuit in mente, pronâque ad omne quod rectum, honestumque est, in voluntate Virtutum semina, quæ cum ætatis profectu in gloriæ adolescerent adoream: ut mox primo illucescente rationis diluculo, se cognoscerent quosdam Deastros, inter Honorum, Gloriæ, meritorumque splendores ad hoc genitos, ut à maiorum suorum Virtutibus non degeneres, non tantùm partam Domûs suæ gloriam servarent integram, verùm etiam sicut heredum successione, ita Virtutum imitatione propagarent. Quos tantis fauoribus cœlum dignatur, viciniùs ad similitudinem Divinitatis provehit, & veluti Semideos, ab inferioribus suspici, ac adorari, colique decernit. Tanta dignitas non vnius Virtutis merito comparatur: totum hic Virtutum collegium succollatores supponit humeros ut ad tantum rapiat, efferatque gloriæ fastigium, in quo subsistentes, veluti hominum oculis erepti, dignosci nequeant, sitne, præter naturam, in illis aliquid, quod cum hominibus commune habeant, sic ad superum imitationem pertingentes, ut suarum Virtutum, Honorumque iustæ cogitationi, & celebrationi, intellectui, linguæ, calamisque adimant facultatem.

Hac beatitate Illustrissimam WARSICIAM Domum coronavit Superum rarò alijs concessus favor, quando eam omnis Virtutis fecit Palæstram, ornavit meritis, implevit Honorum Infulis. Hic omnium

omnium Virtutum chorus æternæ gloriæ nectit coronas: Religio in Templis, Æquitas in Tribunalibus, Sapientia in Senaculis, Fortitudo in bellis; Prudentia in ambiguis, Constantia in arduis, Temperantia in fortunis, Tolerantia in adversis, DEI, Patriæ, & proximi amor, Æquanimitas, & Sanctitas ubique. Vidit hæc Polonus Orbis, laudauit, amavitq; Patria. In Illustrissimis Nominis, & Gloriæ Successoribus cõstans Hereditas, suam originem cum ad prima cum LECHO Regni nascentis exordia referat, semperque novis Virtutum incrementis perficiat, quis præsumat plene investigare per tot sæculorum lapsus decora? omnia hæc illustrarunt sæcula, & cum illa simplici sinceritate, solaque recte facti conscientia contenta, adhuc literatum sterilis, magnalia omnia Virorum illustrium adnotare, ac celebrare neglexerit, solam cum successione propaginis ætatibus nostris transmisit memoriam. Resuscitarunt, & Ecclesiæ Patriæque notam fecerunt seculis nostris propinquiores Heredes Illustrissimi Virtutem illã, qua pro Ecclesia, Patria, Regum Fidelitate res æterna memoria dignissimas egerunt. Occurrit hic Illustrissimus, & Excellentissimus Dominus MATTHIAS WARSZYCKI Ensifer Łęczycensis, qui zelo æquitatis armatus, acriter contra Crucigeros decertans, æternæ memoriæ gloriam sibi Illustrissimæque Domui conscivit. Non inferiorem gloriam promeritus est Illustrissimus Dominus STANISLAUS WARSZYCKI Capitaneus Cobrinensis, qui Carolo Sudermaniæ Principe contra Serenissimum Poloniæ, & Hereditarium Sueciæ Regem Sigismundum Tertium, moliente fraudes, & iam prope occupante Regni Sueciæ habenas in ipsa Regni Metropoli, ad defensionem Regij lateris, & authoritatis conservationem, auctoravit sumptibus proprijs, submisitque securitati Regiæ consulendo, militum copias; post Regni Thesaurarius, demum Palatinus Podlachiæ, ad Ioannem Basilidem Ducem Moschoviæ Legatus, sicut laboribus non parcens, ita & sumptibus, pacis Patriæ negotia feliciter expedivit. Adiecit Illustrissimæ Domui ornamenta, ex Religionis virtute, Illustrissimus Dominus ADAMUS WARSZYCKI Succamerarius Łęczycensis, qui Templa & Aras erexit, instauravit, dotavit, & fundatione censuum cultum Divinum propagavit.

Redis in memoriam Illustrissime & Excellentissime Domine STANISLAE WARSZYCKI Castellane Cracoviensis, qui omnes in Te exprimens veluti in imagine viva, Antecessorum Domus Tuæ Virtutes, factus Successorum Lex, & Norma. Zelus honoris Divini propugnandi, & propagandi, elucet in fundationibus ad promovendum cultum DEI, alibi frequentibus, tum præcipue in Clari Montis Częstochoviensis Basilica. Iustitia in Tribunalibus, cuius Virgam æquitatis, nullus favor, aut respectus in obliqvum potuit inclinare, aut infirmare. Si quis erga Serenissimos Reges Fidelitatis cultor, & Patriæ integritatis tutor, & custos, præcipue invadente Gustavo Sueciæ Rege Poloniæ Regnum. Excedentibus Patriæ Civibus, unus ille fidelis Patriæ Civis permanens, & quæ ad pacem, Regni integritatem, Serenissimi Regis CASIMIRI lateris securitatem, ac authoritatem Maiestatis, pertinere videbantur procurans, in regni visceribus

veluti Cor, & Anima, Patrem egit Patriæ. Teſtantur eundemerga Patriam amorem in Pruſſiam, Moſcoviam, atque ad Bereſtenſes Cannas proprijs ſumptibus expeditæ copiæ militares, ne mercenarius erga Patriam videretur affectus, ſi cenſui pepercifſet.

Vivit eodem generoſo ſpiritu Virtus Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Dñi MICHAELIS in Warſzyce WARSZYCKI Palatini Sendomiriēſis, Petricoviēſis Capitanei, in cuius geniū Anteceſſores, ſuos vidētur infudiſſe ſpiritus, quorum Magnanimitatem Amorem arga Patriam, Fidelitatē, & cultum erga SereniſſimasMaieſtatesRegias, non adæquans tantùm ſed excedens, factus eſt ſicut antecedentium Heroum Domus ſuæ imago, ità Exemplar Succeſſorum. Sicut ſanguinem, ità & Virtutem traxerunt, Illuſtriſſimus Dominus STANISLAUS WARSZYCKI Enſifer Regni, Capitaneus Łęnczycēſis, & Illuſtriſſimus Dominus GEORGIUS WARSZYCKI Dapifer Siradienſis, qui veluti firmamenta Domus WARSZYCIÆ, Illuſtriſſimimi Parentis ſuſtentant ætatem tot laboribus pro Eccleſia & Patria fractam, Curis pro communi eiuſdem Eccleſiæ, Patriæque bono attenuatam, ſolatijs ex Virtutum profectibus, & meritis honoribus refoventes.

Ad Coronam Illuſtriſſimæ Domus MECZYNIÆ, hoc unum deſiderari videbatur,ut illi ampliſſima hæc WARSZYCIÆ Domùs Decora inſererentur. Ità ſuavis ordo rerum, è Divini placiti decreto expoſcebat, ut cum his omnibus ornamentis Illuſtriſſimæ Domùs WARSZYCIÆ Gratiā, Illuſtriſſimā BARBARAM WARSZYCKA, Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Domini Palatini Sendomirienſis Filiam, in vitæ Societatem aſſumeres, Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine CASIMIRE de Korożwęki MĘCINSKI Wielunenſis, & Radomſcenſis Capitanee. Totam hanc WARSZYCIÆ Domùs ornamentorū ſupellectilem Gentilitiæ ROSÆ capedine excepiſti, ut tam illuſtria Virtutum ornamenta, ex Tuæ quoque Domùs Illuſtriſſimæ ROSA, pulchritudinis additamentum haberent. Induxit in Domum Tuam Illuſtriſſima Heroina illam Virtutum omnium coronam, quæ Gentilitijs Tuis ROSIS veluti congenita, Tuæ vitæ curſum florere fecit, & in Gymecæo Virtutum ſuarum animo Tuo, Virago Sancta, & pudica Mulier, illas delicias comparavit, in terra, quibus in Paradiſo abundat innocentia. Accepiſti ex ea coronam, quæ Te circumſtat, & coronat, amantiſſima pignora, & hoc ſatis Tuo deſiderio videtur eſſe, ex tanta Matre illa ſuſcepiſſe, quæ Te veluti florentes, vernanteſque ROSÆ circumdant; IOSEPHUS, ALBERTUS, MARIANNA, CATHARINA, CONSTANTIA, quibus ad Virtutem omnem ſuffragatur illa par magnis capeſcendis Honoribus indoles, quam ex Te Illuſtriſſimo Genitore, & ex Illuſtriſſima Parente acceperunt ſic ordinante DEO Natura certare videtur, & Fortuna, utri plus debeat indoles Matri, an Parenti, quorum æqua Virtus, eò conatus, & vim exerit, ut utriuſque, Paternæ, Maternæque Domùs Virtutum incrementis augeant ornamenta, utpote legitimi utriuſque Familiæ Virtutū imitatores, & Heredes. Diſcernet, decernetque Superum favor, utrique Illuſtriſſimæ Domui deberi ex Succeſſoribus bene ominata decora, qui ex utraque Do-

que Domo, ſicut ſanguinem, Virtutum ſemina, & exempla ad imitationem accepiſſent, pro quibus, ſæculi certavit annoſum tempus, ut coæva Stemmata, tandem aliquando præfinito coaleſcerent in tempore, ex quorum coniunctione fortunata, fortunata Soboles emergeret, ampliorem Paternæ, Maternæque Familiæ Virturum lucem datura. Nongentis annis ex Illuſtriſſima WARSZYCIORUM, Familia cunæ parabantur, & purpuratæ Ducum WISNIOWIECIORUM, KORYBUTHORUM, & ZBARAVIENSIUM, ex Materna linea faſciæ; ut ad capeſcendos in Patria dignitatum faſces ſuffragarentur; ROSA Paterna, Roſeam Vobis Sanctorum Adalberti Martyris, Archiepiſcopi Gneſnenſis, & Gaudentij, meritis ornatam viam pandit; adiecit & ſuam purpuram Martyrij, ſæculo noſtro laureâ Martyrum in Iaponia coronatus Domeſticus, quia cognatus Veſter ALBERTUS MĘCZYNSKI Soc: IESU, ne communi omnium via in primæ lucis uſuram prodirent, daturi ſuis Virtutibus Eccleſiæ, Patriæ, & Familiæ lucem. Vivite & veluti ROSÆ, ad utriuſque Illuſtriſſimæ Domus ornamenta, florete, adoleſcite, & amiſſa in Illuſtriſſima Matre WARSZYCIÆ, & MĘCZYNIÆ, Domûs ſolatia, amantiſſimo Patri compenſate, & multiplicate.

Virtutum Illuſtriſſimarum, cùm ex utraque tum WARSZYCIONUM, tum MĘCINIORUM, Illuſtriſſima Domo traxiſſet per imitationem ſeriam, ſeveramque, exempla, meritò hoc ei ponitur futuris ætatibus.

MEMORIALE

Univerſitatem Virtutum unam comprehendiſſe
Mulierem, ad orbis invidiam qui videre deſiderat,
Omnium Mulierum ſpeculum, & ornamentum intueatur,

ILLUSTRISSIMAM DOMINAM

D. BARBARAM de Warſzyce MECINSKA

ILLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI

MICHAELIS in Warſzyce WARSZYCKI,

Palatini Sendomirienſis, Petricovienſis Capitanei

FILIAM

Wielunenſem, & Radomſcenſem Capitaneam,

ILLUSTRISSIMORUM DUCUM

WISNIOWIECIORUM, KORYBUTHORUM, ZBARAWIENSIUM,

Ex linea Materna Neptem inclytam,

Quæ

In Regias, ac Imperatorias affinitates, & cognationes
ſuum genus protenderis,
Tantarum dignitatum faſtigia

Virtutum æquavit ornamentis.
Religiosa in DEUM, & Cœlites;
Pia, Pudica, Casta, Misericors,
Virtutes in summo positas, in se redegit in compendium,
Ut quod alijs mulieribus in partes divisum concessum est,
Sola collectum in compendium possideret,
Modestiæ omnis archetypon, & Exemplar.
Domus MĘCINIÆ Decus WARSICIÆ Gratia,
Orbis Poloni Pandora.
Misericordijs pauperum dives,
Copiosa meritis.
Annos ætati detractos,
Meritis superavit.
Nondum matura ætate erepta terris,
Virtutibus senectutem complevit:
Cœlo semper Matura innocentia est,
Quod non annos, sed virtutes in illis computat, & æstimat
Quos suscipit.
Avarum corde, & invidum.
Non diu tolerat in terris plenos virtutibus;
Deceptori mundo indignum fovere fuit tantum depositum
A quo ne in suam partem quid detraheret
Cavit cœlum indemnitati, cùm quod suum erat abstulit.
Noverat illa quod cœlum divites expetat,
Excludatque pauperes,
Ideo tota ad divitias intenta,
Ingentem quæstum fecit; ex fortuna;
Ut largitionibus in pauperes fieret ditior.
Gemunt se Matrem amisisse
Maternam sollicitudinem experti dum viveret.
Extra merendi statum positi,
Senserunt liberalitatis eius affluentiam,
Cùm ad refrigerium in pœnalibus flammis,
Ad suffragia frequentioribus subveniebat impensis,
Noluit sterilem in suis manibus esse fortunam,
Qua emi cœlum credidit.
Postquam Illustrissimam Domum Virtutibus
stabilisset, ornasset non minùs naturæ,
gratiæque dotibus,
Domum servasset, amantissima pignora
exemplis instituisset,
Temporalem vitam, ut viveret æternam exuit:
Illustrissimo Genitori, Coniugi, Pignoribus,
Mœrrorem, Amorem, Dolorem,
Omnibus
Sui desiderium relinquendo.

ILLU-

ILLUSTRISSIMÆ DOMUS WARSZYCIÆ

HONORI.



ORNATUR, & ORNAT.

TAnta est VIRTUTIS, & HONORIS affinitas, & consensio, ut nullibi verum Honorem repereris sine pulchritudine Virtutis, Virtutem nullibi non honorabilem offendas. Et quamvis quandoque emeritum non sortiatur honorem, non ad indignitatem Virtutis, sed ad fortunæ, hominumque invidiæ malignitatem referendum. quæ non æquo oculo ferens, recte facti meritum, quamvis hu-

vis humiliatam, depressamque, contemnat, sæculi vitium est, non Virtutis, quod vanis gaudens honoribus, nec perpendens quid cuique iustitia tribuendum iubeat, etiam monstra adorat sub purpura, quibus cùm nihil sit Virtutis, præter nomen, nudumque titulum, veris frui non possunt, exornarique honoribus. Quod antiquitas docuit cùm Honoris templum statuit, ad quod nulla viâ patebat aditus, nisi per Templi Virtutis portam; quo manifestum esset neminem honore dignum, nisi in palæstra Virtutis exercitatum, illosque iniquos honorum usurpatores, raptores, furesque Repetundarum reos haberi, qui sine meritis altiora honorum expetunt, & occupant subsellia, inter honoratos haberi, censerique, & digito monstrarier: Hic est! sicut naturâ sua ubique, & semper expetenda, itâ honoranda est, & quamvis promotore carens non surgat in altum, non vel ideo æstimanda vilior, & abiectior, quæ ex natura sua pulcherrima, amorem apud veros æstimatores habet, & honorem, ipsa alienæ non indiga laudis, Ipsa sibi Virtus pulcherrima meres. Honor qui à Maiorum ceris, & fumosis imaginibus in Successores descendit, alienus est; nam & Genus, & Proavos, & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra puto, Verum proinde est, quòd Qui Genus iactat suum, aliena laudat, nisi in sublimi Honis à Maioribus accepti statu, vita non humilis respondeat. Hæc est principalis felicitatis portio, in Illustrissima WARSZYCIORUM Domo, quod legitima Virtutis ad Honorum Curules via proficiscuntur, nec Sanctas Maiorum, Abavorum, Atavorumque Ceras non vitâ humili profanant, sed Virtutum imitatione exornant, meritoque veris potiuntur Honoribus, quorum pulchritudinis, & claritudinis in alias quoque Illustrissimas Familias splendores reflectunt, nova, & nova in Illustrissimis Successoribus parælia replicando. Lucent in Honorum Curulibus, veluti in firmamento maiora lumina, quæ Patriam illustrarunt meritis. Huc referri potest Illustrissim9 Dominus IOANNES WARSZYCKI, qui inter hostium arma occumbens, Ecclesiæ defensioni, Patriæque integritati litavit sanguinem, ut pretiosa sui sanguinis ornatus purpura honoratior fata exciperet. Honoris partem inter Illustrissimos meretur Illustrissimus ANDREAS WARSZYCKI Siradiensis Nobilitatis Princeps, & ornamentum, qui ultrò oblatas honorum removens infulas, Vir alienus ab omni ambitionis nota, fastuque, solaque Virtutis congenitæ possessione contentus, Honorum fuga, neglectuque, magis se honorabilem ostendit. Non excidet e memoriâ Patriæ Illustrissimus, & Excellentissimus Dominus STANISLAUS WARSZYCKI Cracoviensis Castellanus, sicut, Patriæ Legum Assertor, itâ & Libertatum defensor, qui cum primæ authoritatis prærogativa assistens Illustrissimo & Excellentissimo Domino GEORGIO LUBOMIRSKI Comiti in Wisnic, & Iarosław Magno Poloniæ Regni Mareschalco, & Exercituum Duci Castrensi, lubanites Atlas uterque Patriæ Libertates sustinuit, firmavitque. Satis inde Honoris accessit & gloriæ Illustrissimo Castellano, quod prætiosam aureæ Libertatis prærogativam stabiliendo, penes tanti honoris possessionem totam Nobilitatẽ servavit. A SIGISMUNDO

Tertio

Tertio Sereniſſimo Poloniæ Rege Primus incorruptæ fidei, & integritatis Senator, inde maiorem honoris acceſſionem habuit, quod ſicut Sereniſſimo Regi SIGISMUNDO, ità ſuccedentibus ad ſolium Sereniſſimis Regibus VLADISLAO IV. CASIMIRO III. MICHAELI I. & IOANNI III. nunc feliciſſime regnanti charus; ſicut Sereniſſimo MICHAELI ad Regnum promotor, ità in Electione Sereniſſimi IOANNIS primus fuit, qui liberæ vocis ſuffragio IOANNEM ad Faſces, & Diadema Regni depoſcebat. Ut fatidicum Ordines acceperunt oraculum, ad Regnum IOANNEM expetentes. Verùm qui primus IOANNEM Regem dixit, idem in ſolio per ſauthoritatis aſſiſtentiam firmavit. Neſcio ſi quæ maior dignitas, Honorque, quam ita firmare ſolia Regum, & uno omnium ore, veluti transfuſo ſpiritu omnium in unius mentem, & ſenſum, Regem noncupare. Addidiſti tanto ſuffragio momentum Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine MICHAEL in Warſzyce WARSZYCKI, Palatine Sendomirienſis Petricovienſis Capitanee, cum ſemper aſſiſtens lateri Illuſtriſſimi Senatoris, veluti votorũ illius inſtrumentum tam ardui moliminis, Regiũ Sereniſſimi Regis Honorẽ apud alios promovebas. Cuius poſtmodum expeditionum contra illam Otthomanicæ multitudinis colluviem, ad Vienenſes, & Strigonienſes Campos individuus Comes, & lateris cuſtos, cum ſuis auctoratis non levi impendio auctoratis Copijs militaribus, ſicut arduorum periculorum ſocius, & Victoriarum particeps, hoc ſingulare Illuſtriſſimæ Domui ſuæ Honoribus addidit Coronamentum ut non mirum modò videatur, quod Regijs affectibus inſinuatus, Honorum actus percipias, & in Illuſtriſſimos Filios STANISLAUM Regni Enſiferum, & GEORGIUM Dapiferum Siradienſem transfundas.

Non otioſus in Te Regni ENSIFERI Honor eſt Illuſtriſſime STANISLAE WARSZYCKI Łęczycenſis Capitanee. Par tanto muneri, & Honori, hoc Fortitudinis Anteceſſorum Tuorum inſtrumento, & Symbolo, per dignas, debitasque tantæ prærogativæ Virtutes, ad ſublimiora capeſſenda in Patria dignitatum inſignia Te diſponis, quo Tua matureſcens in Virum perfectum ætas, & nativa indoles, in hoc Honore, veluti futurorum ampliorum rudimento, ex Virtutum ſuffragijs, indubiam promotionem pollicetur. Augurantur illam naturæ haud cuiquam æqualis, dotes eximiæ, iudicij limatiſſimi in rebus agendi maturitas, & dexteritas non ſemel Patriæ in publicis tractandis negotijs, precipue in Tribunalibus Regni, in quibus cum Iudicis authoritate præſidebas, probata; aut in Generalibus Regni Comitijs, ad quæ Nuntius e Palatinatu Łęczycẽſi mittebaris; Inde ſingularis prudẽtiæ cõmendatio, Honeſti, rectique cultus, Æquitatis obſervatio, Eccleſiæ, Patriæque boni aut promovẽdi, aut propugnãdi zelus imictus, Humanitas e ſublimi tum Generis, tum Honoris faſtigio ad omnium obſervantiam, & cuique debitem honorum inclinata, Affabilitas ad omnes amplectendos affectu benevolentiæ admodum prona, Maieſtas vultus, & in actionibus gravitas, Liberalis erga omnes, animus affectus, & manus: Religio, & Pietas erga Tẽpla & Aras quæ Te cùm omniũ non fucatis, aut mentitis amoribus inſinuant,

 & affecti-

& affectibus, non vana præſumptione Te ad omnia ſumma natum ominantur, & exoptant. Sicut ſublimitate Illuſtriſsimi Generis, ita dignitate Virtutis Illuſtriſsimo Germano par, Illuſtriſsime GEORGI WARSZYCKI Dapifer Siradienſis, pulchra æmulationis contentione ad altiora in Patria occupanda honorum faſtigia procedis, quo gradum, curſumque promovet, ſternitque ſevera Maiorum Virtutis imitatio, agendi, tractandique graviora publicorum negotiorum momenta, dexteritas, & induſtria, cuius exhibitum ſpecimen in Te e Palatinatu Cracovienſi Nuntio, viderunt, audieruntque Generalia Regni Comitia, ubi adeo exacte cum Illuſtriſſimo Enſifero, Germano Fratre tam honorifico munere fungebaris, ut manifeſte in Vobis conſtiterit, quâ ſitis origine nati, ac inde appareat Veſtram indolem in Illuſtriſsimis Abavis Ataviſque, Ducalibus mitris, coronatam, fultamque Clavis, non decere, debereque in humilioribus reponi Honorum Curulibus, quorum ad magna natæ indoli, DEUS & natura, in Maioribus Virtus, & Gloria, proluſiſſent.

Pertingitis ex Aſcendentium linea, ſicut ex Paterna ad prima Regni cum LECHO naſcentis cunabula, ita ex Materna ad Auguſtiſsimorum Orbis Imperatorum ſolia, per Illuſtriſsimas WISNIOWIECIORUM KORYBUTHORUM, & ZBARAVIENSIUM Ducum, cum Regibus, & Imperatoribus Cognationes, & affinitates, ex quibus non ita pridem Sereniſsimum MICHAELEM KORIBUTH in Regali ſolio Polonus orbis adoravit, cui illa Ter Auguſta, & in paucis feliciſsima Matrum Niobe GRISELDIS CONSTANTIA, quidquid magnarum Virtutum, Honorumque in Avis. Proauiſque Illuſtriſſimis fuit, futuro Regi in Coronam ſolido nexu illigavit; quæ primùm in LITAONE, â quo LITWANIÆ Principatus primum Nomen accepit, MENDOLFI, TROIDENI, & DOUMUNDI, Fratre deſcendentiâ, quæ deinde poſt Fraternas cædes, ad VITENUM cum ſu ma poteſtate, iureque in Lithvaniæ, & Samogitiæ gubernationem translata, per GEDIMINUM OLGERDUM, qui aſſumpta in federa Matrimonialia MARIA Duciſſa Ruſſiæ, duodecim filios progenuit, IAGELLONEM, KORYBUTUM, NARIMUNDUM, & alios, ex quibus IAGELLO, ſummum nactus Lithvaniæ Principatum, VITOLDO genito Lituaniam Poloniæ Regno nexu inſolubili fœderavit; KORYBUTO interim Fratre ad capeſſendas Regni Bohemiæ habenas advocato, ex eo deſcendens BASILIUS KORYBUTOVIUS, Ducibus ZBARAVIENSIBUS, & PORYCENSIBUS cùm origene, & Nomen transfudit, & prærogativam Principatus, quæ uſque in Illuſtriſſimum CONSTANTINUM KORYBUTHUM Ducem WISNIOWIECIUM Palatinum Belzenſem, tranſmiſſa Honoris hereditas, implevit avitis Lunæ, Stellæque Gentilitijs luminibus Illuſtriſſimam Domum WARSZYCIAM, quando Illuſtriſſima Princeps WISNIOWIECIA KORYBUTHÆI ſanguinis planta, ad Socialia Matrimonij fœdera aſſumpta ab Illuſtriſſimo Dño STANISLAO WARSZYCKI Caſtelano Cracovienſi, Illuſtriſſimam Domum, maioribus fecit clarete ſplendoribus.

Si ad

Si ad collateralem lineam IAGELLONUM mentem, & calamum adverto, video per hanc affinitatem in Domum Illuſtriſſimam WARSZYCIAM influere Archiducales Auſtriacorum Mitras, & Auguſtiſſimorum Romanorum Imperatorũ ſceptra, & Coronas. Hic KORYBUTHÆIS lucet ſplendoribus VLADISLAI IAGELLONIS Poloniæ, & KORYBUTHI Bohemiæ, Regum Germana Soror ALEXANDRA, quæ ZIEMIOWITO quarto Maſoviæ Duci iure Connubiali iuncta, BOLESLAUM, & CYMBURGAM genuit, poſt ERNESTI Archiducis Auſtriæ, Auguſtam Maritam, fæcundam Imperatorio Matrem germine, novem Auſtriacorum Genitricem, ex quibus Chriſtianis Orbis FRIDERICUM III. in ſolio Romanorum ſalutavit Imperatorem. Quàm cùm inter Imagines Auſtriacarum Mulierum, ad Sereniſſimam Imperatricem MARIAM, CAROLI V. Filiam, Auguſtam Maximiliani II. Rom: Imp: Uxorem FrãciſcusTertius Bergomas collocat, hoc ei ſubſcribit Elogium. *CYMBURGIS Ziemiowiti Ducis Mazoviæ Filia, Magnitudine animi & fortitudine corporis ſupra omnes feminas excelluit, ſummas res geſsit, æternis literarum monumentis celebrandas, Magnorum Litvaniæ Ducum, vnde originem ducebât, & imitata gloriam, & aſſecuta;* à cuius Filio FRIDERICO, non interrupta Romanorum Imperatorum ſucceſſio, uſque ad moderum Auguſtiſſimum Romanorum Imperatorem deducta, ad KORYBUTHORUM Domus Claritudinem omnia decora, Virtutes reflectit, & merita. Strictim percenſeo tot Serenitates, & ſplendores, quæ Lunam KORIBUTHEAM cùm in auge gloriæ toti mundo fecerunt lucere, in Illuſtriſſimam quoque Domum WARSZYCIAM ſuas claritudines tranſmiſerunt, per Coniugalia fœdera Illuſtriſſimi Domini MICHAELIS WARSZYCKI Palatini Sendomirienſis, cum Illuſtriſſima D. ANNA de ROXYCE WARSZYCKA, Illuſtriſſimi Domini DEMETRII KORYBUTH Wisniowiecij Caſtellani Cracovienſis, & Generalis Exercituum Regni Ducis, ex Patruo Germana Sorore, Illuſtriſſima BARBARÆ MĘCZYNSKA Wielunenſis & Radomſcenſis Capitanei Conſortis Genitrice, quæ tot ſeculorum lumina, Auguſtum illius Hymenæum ad Illuſtriſſimi Palatini thalamos comitabantur, vt illa eſſet Luminum primæ magnitudinis Domus, in qua in ſeris Nepotibus lucentes in auge Honorum, & Gloriæ Lunæ KORYBUTHEÆ nullum occaſum nulla, deliquia ſubirent.

Si quod in cœlo ſidera, hoc flores in terra, meritò flores, terræ ſoles & ſidera, ſicut ſol, & ſidera cœli flores, noncupantur; Gentilitia Tua ROSA, Illuſtriſſime Domine CASIMIRE IOSEPHE Wielunenſis, & Radomſcenſis Capitanee, in Patria, Solis quandam terreſtris refert imaginem, in qua omnia Domûs ROSARUM reſplendent Decora, quæcunque Chriſtianus orbis tum in Pontificalibus ſummorum Chriſti Vicariorum in terra Mitris, Cardinalium purpuris, adoravit. Iam à nongenis annis Polonum cœlum cum Illuſtriſſimo Fratre Diui ADALBERTI Archiepiſcopi Gneſnenſis, & Martyris, de appellatione PORAY ſubijt, nunquã tamen tot annorũ vetuſta-

te ſuam amittens venuſtatē, fragrantior ſemper novis bonæ famæ odorū, ſeu Honorum acceſſionibus, vividior, & illuſtrior, in ſuis delicijs non tantum Polonum, at univerſum Chriſtianum orbem facit hilareſcere. Quid multis hic magna Nomina referam Illuſtriſſimorum de ROSARUM Domo Virorum? Omnes ſummas ſupremaſque in Eccleſia, Patriaque ornarunt dignitates, & coronarunt, ut merito dixerim altiora ſubſellia tantum illis addidiſſe honoris quantum illi dignitatibus ipſis decoris addidiſſent. Archiepiſcopales, & Epiſcopales Infulæ, Ducales Clavæ, Senatorum ſubſellia, omnium dignitatum Curules, per nongentorum annorum curſum de ROSARUM ſtirpe ſua ſemper habuerunt ornamenta. Cœlum ipſum floret amœnius, quod ex hac Illuſtriſſima Domo Beatis completur, ornaturque mentibus. Duces Exercitum Centum, Sexcentos Senatores, innumeros aliorum dignitatum ornamentis illuſtres Viros hæc ROSARUM Domus numerat; Beatos quorum publicus honor in Eccleſia habetur, ſeptem percenſet, non ineundo numerum abſque numero illorum, qui ſub infulis Eccleſiaſticarum, ſeculariumque dignitatum, in Toga, Sagoque ſanctam viventes vitam, beatæ æternitatis excepti ſinu, terram, & cœlum, odore, honore, decoreque ſanctitatis famæ impleverunt. Ita Gentilis MĘCZYNIORUM Domus Illuſtriſſimæ, & Sanctiſſimæ PORAY, non tantum per ampliſſima terrarum ſpatia ſuas Virtutum, Honorumque extendit propagines, ad Empyreum ſuæ celſitudinis exporrexit cacumina, gloria immortalitatis coronanda. Integra implerent volumina, ingentia Illuſtrium Virorum de MĘCZYNIORUM Domo Nomina, ſi recenſerentur omnia; indignum ideo, & iniqvum eſt, foliorum aliquot anguſtijs arctare illorum magnalia, quorum Sanctitatis, & Fortitudinis, omniumq; Virtutum Heroicarum geſta, ſicut librorum capacitatem, ità ſcriptorum conatus exceſſiſſent.

Dulce tamen eſt in memoriam & venerationem advocaſſe Magna illa Nomina Virorum, quorum in benedictionibus memoria cùm ſit apud DEUM, eſſe debet & in laudibus hominum. Poſt Sanctiſſimum Martyrem Archiepiſcopum Gneſnenſem D. ALBERTUM, & GAUDENTIM ad eandem Cathedram ſucceſſorem, occurrit ANDREAS ROSA de Korozweki eiuſdem Cathedræ Pontifex. Natum in ROSARUM Domo Decus inclytum Patriæ, B. VINCENTIUS KADŁUBEK, qui Cracovienſes Cathedras, & Infulas, cum Virtutibus Pontificijs, & gloria ſanctitatis exornaſſet, etiam ſcriptione geſtorum in Polonia, Patriam illuſtravit. Non minori meritorum, ac Virtutum lande præfulgens, eaſdem Cracovienſes Cathedras exornavit ZAWISZA, Vir tantæ Virtutis, quæ digna fuit, cui abſens Poloniæ Rex LUDOVICUS, totam Regni gubernandi molē commendaret. Eadem intulerunt ornamenta in Epiſcopalem dignitatē BODZIANTA IANKOWSKI, & IOANNES GRUSCZYNSKI, Cracovienſes Pontifices, Ornarunt & Wratislavienſes ZYROSLAI, Plocenſes VERNERI, Leopolienſes KORYCINSCII Præmyslienſes & Varmienſes ZBASCY, ut alios de Domo ROSARUM omittam Pontifices, ut conſtet non tantùm Italiam, unde hæc in Po-

loniam

loniam propago deducta est, Romanasque Arces summis Antistitum Infulis, & Cardinalitijs purpuris, sub qua & hodie de Familia Ducum GRAVINÆ, de Ordine Prædicatorum assumptum VINCENTIUM Ursinum, Tituli S. SIXTI, Roma Cardinalem veneratur, honorare, verum Poloniam quoque ROSAS inde traduces Mitris Pontificalibus exornare.

Tantus Patriæ ROSARUM amor est, tantus honor, & observantia, ut non patiatur eas in communi reliquæ Nobilitatis censione relinqui, maioribus illas admovet dignitatum splendoribus, ut ORNENT, & ORNENTUR ab illis. Prætereo hic vetustiora in Republica Sapientiæ, & Prudentiæ, de ROSARUM Domo oracula, & miracula, quæ semper admirabantur, ac venerabantur sæcula. A centum, & sexaginta annis, titulum de KUROZWĘKI acceperunt MECINY, ut ante per septingentos, & ampliùs, annos in varias Domus ROSARUM divisa Familias, propria nuncupatione de KOROZWEKI dicerentur, sumpto exordio ab ALBERTO de Korozweki MECINSKI Anno Domini MDXXII. ALBERTI MECINSKI Patris, qui Illustrissimum ANDREAM de Kurozweki MECINSKI Castellanum Wielunensem, Capitaneum Brzeźnicensem genuit, magnum Domus MECINIÆ Decus, ex quo prognatus MATTHIAS de Korożweki MECINSKI Magnum illum in Republica Sapientiæ, & Prudentiæ exemplar; & normam Virtutis, genuit, Illustrissimum Dominum ALBERTUM CASIMIRUM de Korożweki MECINSKI Succamerarium Wielunensem, Layscensem Capitaneum. Hic est ille Tuus Genitor Illustrissime Domine CASIMIRE IOSEPHE de Korożweki MECINSKI, Wielunensis Capitanee, quem Generalia Regni Comitia, & Tribunalia, in quibus & Mareschalci dignitatem sustinebat, ut vivum Sapientiæ & Prudentiæ venerabantur oraculum, à cuius facundissimo ore, dum ut Patriæ Consus daret consilia, aut proferret sententias, pendebant Ordines: ut erat semper Serenissimorum Poloniæ Regum observantissimus, sic ijsdem amantissimus, pro quorum honore, & Patriæ amore, sumptus impendens, & labores, dignas æterna res gessit memoria. dum terræ Wielunensis copiarum Dux electus, Patriam populantes Succorum turmas, ad Boleslaviam, Calissium, Petricoviam Heroa persecutus fortitudine, cecididit, profligavit, cuius fortitudinis sumpsit tyrociniam, dum sub Zbaraż, Zborow, & Barow victrici Marte cum hostibus Patriæ decertavit. Prætereo Ilustrissime Domine Capitanee, Patrui Tui ANDREÆ MECINSKI in Moschovia, ALBERTI in Prussia, & sub KORSUN illustra Heróæ magnanimitatis facinora, quibus parta gloria, Illustrissimam Domum MECINIAM decoravit.

Dum igitur in unum cöeunt Illustrissimæ Domus WARSZYCIÆ, & MECINIÆ decora, utrique illud adscribi potest: ORNATUR, & ORNAT, sicut enim, ut passim aimus; Unita Virtus fortior, ita coniunctione tot primæ magnitudinis siderum Illustrissima Domns utraque clarior effecte est. Ornavit Genius Domus Tuæ

Illuſtriſſime Domine Gentilitijs ROSIS Illuſtriſſimam Heroinam BARBARAM, vnicam Domus WARSZYCYÆ Gemmam, & viciſſim ab ea illa omnia accepit in ornamentum Decora, quæ ab Illuſtriſſimis Litwaniæ, Ruſſiæ, Auſtriæque Ducibus accepit, vt & Tua Illuſtriſſima Domus, ſemper eſſet ROSARUM DOMUS, ET HONORUM; Cuius Heroinæ merito Honori, hi inſcribuntur,

TITVLI.

Illuſtriſſima ex Illuſtriſſimis, Maxima ex Maximis,
DUCIBUS, REGIBUS, IMPERATORIBUS,
Avis, Abavis, Atavis, Tritavis,
Optima, ex Optimis,

BARBARA de Warſzyce MĘCZYNSKA
Humaniſſima, nihil aſperum, præter Nomen præferens,
Subnixa Maiorum Honoribus, & exaltata,
Se minimam, & abiectiſſimam reputans,
Per omnem pompam, & faſtum, proculentam,
Verum Honorem eſt adepta Sanctorum,
In ſui, Honorumque contemptu,
Docta molem ædificij in altum aſſurgere non poſſe
Niſi profunda jecerit fundamenta.
Honoris alieni tutrix & patrona,
A triſulco linguæ obloquentis, abhorebat jaculo,
Inimicum rata ſuum,
Si quem famæ alienæ hoſtem advertiſſet,
Sueta ſibi, proximoque minus affectos
Non indignatione, ſed diſſimulatione,
& compaſſione punire.
Ubi ſuſpitionem nominis gratia manſuetudinis abſolvit.
Erga Deum Pietas, erga Proximum Charitas,
Erga amantiſſimum Coniugem Amor, & obſervantia
Erga omnes conſtans Benevolentia,
Omnibus fecit & Amabilem, Honorabilem.
Deum in ſervis DEI
Chriſtum pauperem, obſervans in pauperibus,
Humaniſſime excipiens. eleemoſynis ſublevans,
Datum, accepti beneficio convertens;
Semper tantum ſibi injuriæ factum arbitrata,
Quantum egenti, & miſero gratiæ non præſtitiſſet.
Exterioris formæ, & compoſitionis muliebris cultum,
Ad interiorem animi culturam transferens,
Sibi facta prototypon, & exemplar,
Ex imagine integerrimæ mentis,
In forma, exteriore morum, & cultu corporis,

Detraxti

Detraxit, quod oculo humano tantùm placere potuit,
Quod Divino, adiecit.
Sciens in ROSARUM DOMO,
Neminem debere male olere,
Ne deesset Illustrissimæ, & florentissimæ Domus privilegio,
Fragrantissima e Maiorum Virtutibus intulit Florilegia,
Ut per hunc odorem, Domus Honorem promoveret.
Ideo in Gentili MĘCZYNIORUM PORAY
Albet vitæ innocentis merito, vt Lilium,
Rubet Charitatis DEI, & proximi ignibus vt ROSA,
Pallet attenuata mortificationibus, vt Narcissus,
In abiecta sui demissione serpit humiliter, vt viola.
Ideo famæ bonum odorem reliquit
Unde
WARSZYCIA, & MĘCZYNIA DOMUS
Repleta est exodore ungventi:
Non refuge odorum fragratiam
Quod scarabæorum est;
Ama, quod apum, dulcedinem.
Ambitiosa Illustrissima Virago,
Inter Illustrissimos Natalium splendores genita,
Ad Lucidam semper Cœlorum Domum suspirabat,
Tam diu se alienam & exulem ab ea dolens,
Quam diu in proprijs, & domesticis morabatur.
Quid aliud in tenebris mundi expeteret
Quam Lumen, Filia Lucis?
Minus æstimavit Gentilitias, & Genethliacas Luces,
Ad Lumen Sanctorum nata,
Quod ad cœlum viam virtutis, & veritatis demonstrat
Funestavit occasu suo Illustrissimas Luminum Domos;
Luctum induant Aulæ, non animi,
Quibus licet dolorem induxit, affectum non abstulit
Honori illius famulata mors videtur
Cùm cæteros involuat tenebris,
Illam luce decoravit,
Quæ extincta,
Non tenebras, sed virtutum Lucem reliquit.
Æterno summo Bono mentis occulum semper assuefaciens intuendo
Clausit oculos, ne videret mundi mala.
Nunc primum æterna felicitate beanda,
Cûm mundi miseriam evasisset.
Secura lapsus periculi Stadiodroma,
Quod virtutum cursum emensa
Securitatis æternæ bravium apprehendit,
Quod proprie Sanctorum est:
Hanc rectam sequere viam Viator, & exemplum,
Ne æternum deflectas in errorem.

ILLUSTRISSIMÆ DOMUS WARSZYCIÆ
DECORI.



VINCTUM NEC FATA RESOLVENT!

SIcut nemo sibi natus, ità sibi nemo sufficiens est. Quis enim est, qui alicuius ope, auxilio, solatio, societate non egeat? Si animalia in suas divisa species, & volucres, naturæ solius instinctu, colunt societatis necessitudinem, quis non videat id maxime decere homines, qui quantum à brutis differunt dignitate, tantùm

tantum diffidere tenentur rationabiliter agendi necessitate. Ideò dictante natura, cöeunt in socialia amicitiæ fœdera, ut in necessitate subsidio, in quiete mutuo fruantur solatio; ideo sancta Matrimonij assumunt vincula, ut in accidentibus malis, bonisque alterno foveantur auxilio, obsequio mutuo subleventur; & transmissa in posteros heredite, Nomen, genusque suum in seris faciant nepotibus perennare. Hoc principale humani generis bonum est societatis. Adde ad societatem illustres, potentes, copiosas, honoratas iustas, sanctas, fortunatas Affinitates, & decoro admodum, pretiosoque serto Domum coronasti. Hoc obtingit Domui Tuæ Decus, Illustrissime Domine CASIMIRE de Korożweki MECZYNSKI, quod Illustrissimarum cognationum Domus Tuæ ROSIS inserantur illa Illustrissimæ Domus WARSZYCIÆ ARMA, quæ Domus MECZYNIÆ Coronam admodum pretiosam, decoramque compleverunt. Præter Illustrissimorum Ducum Lithvaniæ, Russiæq; splendores, influunt Regum Poloniæ, ac Imperatorum, lucidos consanguinitatis nexus, HODOROVIJ, BAWOROVIJ, KONIECPOLIJ, GRUDZINIJ, MIELECIJ, BYKOWIJ, WALEWIJ, WIERZBOVIJ, magna in Patriæ cœlo lumina virtutibus, & meritis lucentia. Non postremum decoris additamentum inseruntur ex Illustrissimo & Excellentissimo Domino FRANCISCO IORDAN Woynicensi Castellano, Illustrimæ MARIANÆ Ensiferi Regni STANISLAI WARSZYCKI Coniugis, Genitore, qui & Iudicia vulgo KAPTUR dicta, sub tempus vacantis Regij Solij, in quibus cum suprema potestate Marechalcus, & Iudex præsidebat. Tribunalia, ac Generalia Regni Cömitia, grandia agentem, dictantem, decernentem, avido Sapientiæ, & Prudentiæ audiendæ, silentio colebant; innectit amplissima ornamenta, & Illustrissimus Dominus IOANNES de Odrowąż PIENIAZEK Palatinus Siradiensis, ex illo sancto honoris Divini Patrijque, quo semper calet, feruetque zelo, ore, calamo, potens & opere, in Tribunalibus, in quibus cum summa potestatis prærogativa Mareschalcus sæpius præsidebat, tum in omnibus Regni Comitijs Generalibus, in quibus Legum, ac Libertatum Patriæ sanctitudinem tuebatur, Magnus Magni Senatoris Illustrissimi Domini MICHAELIS WARSZYCKI Gener, qui cùm per affinitates ROSIS inseratur MECINIIS in Decoris Coronam sinuantur, quæ magnas utrinque Domos exornant. Stipant coronantque ROSARUM Domum MECINIAM, BALORUM, MINOCIORUM, LANCKORONIORUM, nobilissima insignia SAMOTULSCIJ, TECZYNIJ, KORYCINIJ, ZBASCIJ, LATALSCIJ, RYLSCIJ, OLESNICIJ, qui affinitatũ nexibus illigati, MECZYNIÆ Domus complent Decora, ad quæ propinquius accedit Illustrissimus Domnnus FRANCISCUS in Zakliczyn IORDAN Castellanus Woynicens, ex CATHARINA de Korozweki MECINSKA Succamerarij Wielunensis Germana Sorore, & Illustrissimi Domini MICHAELIS IORDAN Succamerarij Cracoviensis Consorte genitus, cuius Genius fortunæ, famæque Gentiles Tubas ingerit, ut utriusque, IORDANORUM, & MECINIORUM Domus illustrium facinorum gloriam triumphali buccina decantet.

E Explicat

Explicat Illuſtriſſimus MECZENIORUM Genius in ſua ROSARUM Domo, Magna ornamenta, armamenta Decoris perpetui, quas per Affinitates ſplendidiſſimas intulerunt POTOCII, ORECHOVII, GOŁUCHOVII, WIELOWIEYSCII, ŁODZINII, DROIOVII, DZIALINII, SCZAWINII. Magnorum in Republica, Sapientiæ, Iuſtitiæ, Fortitudinis, Prudentiæ, Numinum percenſeco memorias, non nudas Nominum recapitulationes inſinuo. Fecit ampliſſimum ornamentis acceſſionem Illuſtriſſima Domus OLSZOVIA, Archiepiſcopalibus infulis, & ſublimiorum in Patria titulis dignitatum ornatiſſima, dum Illuſtriſſimus Dominus MARTINUS OLSZOWSKI Capitaneus Wielunenſis, Illuſtriſſimi Succamerarij Filiam CATHARINAM de Korożweki MECINSKA in fœdera Matrimonialia aſſumpſit. Subijt Illuſtriſſimos thalamos Genitoris Tui Illuſtriſſime Domine Capitanee, Illuſtriſſima Heroina TERESSIA de Przyłęk PRZYŁĘCKA Caſtellani Oswięcimenſis Filia, quæ Veſtra propagine, ſeu genitura ROSAS edidit. Vos appello ROSAS, Domum Coronantes, qui principem hodie in Illuſtriſſima Veſtra ROSARUM Domo locum occupatis, Illuſtriſſime Domine, CASIMIRE IOSEPHE de Korozweki MĘCZYNSKI Wielunenſis, & Radomſcenſis Capitanee, cum Germano Tuo Illuſtriſſimo Domino IOANNE de Korozweki MĘCINSKI Vexilifero Wielunenſi, duo Lumina Reipublicæ, Domuſque ROSARUM Columina. Parem Vobis ſicut Amorem, ità & Honorem teſtatur Patria, quem eximijs Virtutibus apud omnes Ordines Regni meruiſtis. In Particularibus Palatinatuum, in Generalibus Regni Comitijs, functiones, negotia Patriæ bono feliciter expedita, in Regni Tribunalibus, inquibus Iudices Deputati præſidebatis Iuſtitiæ momenta, Sapienter ad libram Æquitatis, abſque privati affectu, reſpectuque tractata, illum in Vobis celebrant Honoris DEI Eccleſiæ Boni, Patriæ pacis, Zelum, & candorem, quem à Maioribus, ut legitimi, ſicut ſanguinis, ita Virtutis ſucceſſores accepiſti, oſtendunt, in quo ampliſſimo, bene de Eccleſia, & Patria merendi campo, nullam prætenditis vanæ famæ, laudiſque gloriam, & præmium, tantùm meruiſſe, quod veræ, ſanctæque Virtutis eſt, contenti. Ex ſimilibus paribuſque Virtutibus, & meritorum ſtudijs, agnoſcit legitimum Domus ROSARUM heredem, & Illuſtriſſimum D. PAULUM de Korozweki MĘCZYNSKI Colonellum Sereniſſimi Poloniæ Regi IOANNIS III. qui Toga, Sagoque clarus, ea ſapientiæ in ſenaculis, Fortitudinis in caſtris exhibet exempla in quibus primus ille Maiorum Veſtrorum reſplendet Honor, quem Heroicis ubique facinioribus meruerunt. Tam præclara, tam ſpecioſa, & pretioſa circumſtipant Honorum oſtenta, Illuſtriſſimam Heroinam BARBARAM de Warſzyce MĘCZYNSKA Wielunenſem, & Radomſcenſem Capitaneam; ornare illam, non implere potuerunt, æternorum ſemper avidam. Profuerunt tamen ſancto ſanctæ Heroinæ voto; illorum enim pulchritudinem, & amplitudinem perpendens, cogitavit quantò pulchriora, quantò eſſent feliciora æterna gloriæ cœleſtis beatitudinis præferre viderentur imaginem. Si ità gratum pul-

chrum-

chrumque est inter Illustrissimos, censeri in via, quanto fortunatiùs excellentioribus frui bonis in Patria. Nihil illi in temporalibus placere potuit bonis, ad æterna genitæ; pro quibus ardua tentare, & subire, aspera perpeti non dedignata, austerioribus pœnitentialibus exercebatur operibus. In patientiæ palæstra, paulò ante discessum e vita, nullum se posse capere solatium, quod corpus reficeret, testata est, sed quod animum patientiæ merito, recrearet, Moderatus, & modestus usus fortunæ, demonstravit illam, nil minùs, quàm temporalia, curasse: ut homo, humanæ conditionis erumnam tolerans, mentem ad patientem Salvatorem suum reflectebat, solita frequentissimum illud sicut mente volvere, ità ore proferre: Plura pro me passus Redemptor meus! quod & præsentibus elicuit lacrymas, & arduæ patientiæ reliquit exemplum. Vidisti, Illustrissime Domine Capitanee, ita corpore depositam, quod dolebas, compositam æquanimitate ad placitum Dei, quod dolens stupebas: Tentasti remedia subveniendi ne amitteres, quod amabas, respuebat illa, quæ præter Te aut veriùs loquar, ne amantissimæ Tui, affectûs injuriam irrogem, Tecum solum Deum amabat, dedignata decora; quæ sepeliunt funera; soli Deo intenta, animæque saluti. Adiecisti curas, ex sollicitudines ad obsequium animæ, cùm nulla ad corpus, per industriam humanam, & sumptus attentatæ proficerent, & quod iussit maritalis affectus, amanti vivæ, & mortuæ præstitisti. Experitur Amorem in liberalissimis post fata, Eleemosynis, quibus comitaris & hodie, in viam æternitatis abeuntem, comitantur & illi, qui funeralibus assistunt Honoribus, quibus æternum dicit.

VIVE ET VALE.

E mortis patria, ad regionem æternæ vitæ discedens,
Vos morituros relinquo,

ILLUSTRISSIMI, EXCELLENTISSIMI, REVERENDISSIMI,
PERILLUSTRES, ADMODUM REVERENDI, REVERENDI, HONORANDI,

DOMINI

Cognati, Affines, Amici, Familiares, Domestici, subditi,
Ego
BARBARA MECZYNSKA,

Claritudines, Honores, Opes, Titulos, Favores, exuens,
Quod humana fert condiditio, Cinerem, & putredinem, tineam uermen induens,
Nec Urbana, Humanaque esse negligens,
Omnibus, & singulis,
Maximis, Æqualibus, Medioxumis, Infimis,
SUPREMUM VALE relinquo.
Nec ampliùs superat Vobis tribuendum,
Cum una Mors,

Omnes Celſitudines in pulverem detraxit
Omnes Claritudines umbris involuit,
Omnes ſplendores extinxit,
Omnes pulchritudines turpavit:
Genus, Formam. Divitias, Delicias, Dignitates, Honores,
Quod à Natura, & Fortuna habere potui,
Iure ſuo, non invitæ, abſtulit,
Et e terra natam, terræ nudam reſtituit.
Accepit omnia, me non decepit,
Quæ
In mundi vanitate, querens Veritatem,
Hoc quod vilius alijs in mundo viſum,
Pretioſius æſtimans,
Virtutem, Meritum, & recte facti conſcientiam, inveni;
Cetera humana omnia, & temporalia,
Cùm inſtabilia, fucatà, lubrica, & ludicra fuerint,
Odi, peſſumdedi, contempſi, neglexi,
Solius, & vnius, quod æternum erat, ne perderem, curam gerens.
Animam Deo, Deum Animæ.
Hic ſolus vitæ cursûs Terminus fuit,
Sicut corporis ſacophagus;
Ideo per Virtutum Olympia,
Ad Olympum Exemplis præcepiſti contendere,
ILLUSTRISSIME & AMANTISSIME GENITOR,
Mortem ego nòn timui, quod peccatorum eſt,
Quia me Deo, & Virtuti vivere docuiſti, quod Sanctorum,
Velox nimis cùm Illuſtriſſimis Cognationum
& Affinitatum ſplendoribus,
Lampadophora, vitæ metam attigi,
Non offendi;
Nec enim ambulare in tenebris didici,
Cui Illuſtriſſima Virtutum Tuarum exempla præfulſiſſent.
Ad Lucis regionem evocata,
Umbris funeralis Vrnæ corpus crédidi,
Dum ultima Iudicij ſupremi dies illuxerit, ſervandum,
Chariſſimo Coniugi, Filijs, ac Filiabus,
Tradidi Lampada:
Qui hoc impendent Tibi, quod debebam Filia,
Honorem, & Amorem, Cultum, & ſolatium.
Cùm potiore mei parte Deo, & cum Deo, vivere cœperim
Tibi in illis vivo, quorum unum cor eſt, & una anima,
Ne quid ex me Tibi debiti ſolatij abſceſſerit,
Quod Deus, & Natura, Genitori præcepit tribuendum.
Tua eſſe non deſij Filia, Amantiſſime Pater,
Nec Tu Patrem me amantem exuiſti,
Dum qui mihi vitam, Genitor meus, dediſti temporalem,

Ut u-

Ut utrinque mutuæ pietatis non cessarent officia,
Liberalia per suffragia, Adiutor, & promator, factus es ad æternam.
Vive diutissime, Deo, Ecclesiæ, Patriæ, Familiæ,
In hoc arumnosæ mortalitatis exilio,
Mecum æternùm Deo,
In felicitatis Patria, victurus.
Vivite & Vos,
Illustrissimi, & Amantissimi Fratres,
STANISLAE, & GEORGI,
Eiusdem mecum & sanguinis, & Paterni Amoris consortes,
Virtutibus lucentes, & dignitatum splendoribus;
Bene gestis implete Fastos, Domum meritis:
Ut quos temporalibus Patria decoravit,
Æternis Cœlum Honoribns exornet,
Et propitij Sororis Vestræ Manibus,
Estote in sufragijs fideles Patroni,
Sicut Fratres mei Dilectissimi semper extitistis.
Vive Coniux Amantissime!
Cuius socialis amor, trans vitæ limites se efferens,
Æternus esse non desinit.
Sepivisti Rosis Tuis Gentilitium & Connubilialem
Annulum, sed sine spinis.
Quia Dulcis Tuus semper erga me, & fidelis
Amor, & Honor, Obsequium, & Candor,
Affabilitas & Benevolentia,
Blandimenta fuerunt intendendi affectus,
Quæ violandi instrumenta non admiserunt.
Placidissimi Tui erga me mores, & Amores
Serena semper, nunquam severa frons, & oculi,
Animum meum in jugi tranquillitate continens
Mutuam pacem, & concordiam firmavit, roboravit affectum;
Indeque Annulus, Fidelitatis, & Amoris tessera,
Qui manum meam ornavit,
Coronavit Cor, signavit animum,
Et post fata amatorem.
Hinc
Morituris Annulos detrahere solita Atropos,
Non resolvet hanc Cordis, & Animi Coronam,
Qua Tibi Cor, & Animum Amantissimo Coniugi æternum obligavi.
Vivite amantissimæ Soboles, Pars Patris,
Meum aliquando Delicium, & Solatium,
Et in charissimo Genitore Matrem amate,
Ætatem, non annis, sed virtutibus, & meritis, computate,
Crescite in Amore, & Timore DEI,
Ut DEI benedictionibus impleamini,

Vivite omnes cognationum, Affinitatum, Familiaritatum vinculi
coniunctissimi
Immortalitati, in vita mortali:
Pro Amore, & Honore, Benevolentia, & Amicitia,
Officio, & Obsequio
Qui Vobis debitam gratitudinem exhibeat,
Vadem habeo D E U M,
Rependet ille, quidquid mihi impendistis
Qui solus, vna, & vera, & mea, & Vestra
Copiosa merces est;

VIVITE, & VALETE!

Et mementote,
Quod Vos æternitatem ingressa,

NON DESERO, SED EXPECTO.